

Per.
Lat
020

IUVENTUS

EPHEMERUS IN USU LIBERAMENTE STUDIOSA

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse
 Laptulajdonos: Katolikus Középiskolai Tanáregyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholiconum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)


Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, XI., Fehérvári-út 13. (tel.: 269-057).

Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripts mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268-634).

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1941—42: 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chéque) postalis in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit.

De quinque¹ lustris¹ episcopatus Summi Pontificis Pii XII-i.

Mense praeterito omnes populi culti una cum fidelibus Ecclesiae Catholicae cogitationes in Urbe Aeternam contulerunt, ut — cum bello impediti Limina Apostolorum Summo Pontifici de anniversario consecrationis Episcopalis a Benedicto XV ante 25 annos collatae coram gratulaturi adire nequirent — spiritu saltem Pontificem Romanum summā observantiā colerent. Fideles praesertim Hungari studiosissimi² mentem ad Pium XII incitaverunt haud oblitū Summum Pontificem — tum adhuc Eugenium Pacelli secretarium Status Pontificii legatumque a latere felicis memoriae Pii XI — Congressui XXXIV-o Internationali Eucharistico mense Maio anni 1938 magnā multitudine Catholiconum ex cunctis nationibus conveniente nonnullis etiam Cardinalibus S. R. E.³ praesentibus eventu memorabili edito interfuisse, et, quantā



Pius XII. (pinxit Joannes Kalmár).

commotione fidem antiquam Hungarorum cognovisset, declaravisse. Sunt etiam in memoria insculptae orationes elegantissimae Latine habitate, quibus etiam Budapestini auditores delectavit, praesertim cum perittissimus esset linguae Latinae, cuius tractatione — quasi levamine — inter officia onerosa se refici dixit. A Sua Sanctitate etiam IUVENTUTEM magni aestimari scimus (vide IUVENTUTIS a. 1940, pag. 58.).

Occasione iubilaei Summus Pontifex per stationem radiotelephonica Vaticana allocutionem habens haec fere dixit: «Commotione et satisfactio comperi a mundo Catholico hoc iubilaeum, quamquam tempora curarum laborumque plena precibus et stipendiis⁴ in-

¹ quinques quinque annis
² ragaszodó = anhänglich = dévoué ³ Sanctae Romanae Ecclesiae ⁴ alamizsna = Almosen = aumône

digerent, tamen celebrari. Iuvenalitas⁵ Ecclesiae, etiamsi hodie cum atheismo, antichristianitate vel negligentia⁶ frigida belligerat ac in nonnullis regnis exsistentiae sua quidem incerta est, sempiterna manet, neque umquam ipsa mutatur, quoniam neque dogmata nec vires ipsius invincibilis mutari possunt.» Papa dein copiose de excavationibus prope Ecclesiam Cathedralem S. Petri factis, quae lucide commonstraverunt Ecclesiam Basilicam S. Petri revera super sepulcrum Apostoli erectam esse, disseruit; ac nummorum ibidem effosorum, in quibus etiam nummorum ab Hungariorum mediae⁷ aetatis Romae peregrinantibus oblatorum mentionem fecit.

Postremo Sua Sanctitas vix sperandum esse putans fore, ut pax extemplo restituī posset, ductores regnorum admonuit, ne armis etiam crudelioribus et ad depopulandos torquendosque homines aprioribus et omnia bona humana multis impensis instructa diripientibus uterentur; ne vel ullam opportunitatem, in qua pax iusta et diuturna restituī posse videretur, negligerent; ne familiam — cunas non modo puerorum, sed etiam totius nationis — una cum scholis de honestarent obligando, ut pueruli ad nihil aliud nisi ad proelia praeparentur; atque allocutionem his verbis conclusit: «Patrem misericordiae et prudentiae, qui diluculum diei omnibus exoptatissimi adventurum celeret, imploremus!» Finito sermone Sua Sanctitas auditoribus benedictionem Apostolicam imperavit. Festo autem Ascensionis⁹ Pius PP. XII. missam sollemnem celebravit, quā finitā e solario¹⁰ Ecclesiae Cathedralem S. Petri multitudini ovanti et iubilanti benedixit.

«Roma felix usque vive! Vivat Summus Pontifex!» (Ex Hymno pontificio).

Alexander Weber, disc. Sch. P. Bp.

⁵ fiatalosság = Jugendlichkeit = jeunesse ⁶ közönyöség = Gleichgültigkeit = indifférence ⁷ középkori = mittelalterlich = médiéval ⁸ zarándokolni = pilgern = faire un pélerinage ⁹ Áldozócsütörtök = Christi Himmelfahrt = Ascension ¹⁰ erkély = Balkon = balcony

Alexander Magnus. (2)

Scripsit A. Nyáry. Latine reddidit I. Guelmino Ep.

Et vere intravit magister, nihil animadvertisens. Alexander Magnus auditis et verbis custodis et passibus appropinquantis magistri silentio latebat in fornace. Et tunc casu¹³ et fortuito¹³ magister de eodem Alexandro Magno, qui imperium Persarum deleverat, incepit narrare.

«Pater eius, inchoat, Philippus, angustum¹⁴ sibi esse Macedoniam dicebat, et toto mundo potiri in animo habebat. Et si iam Philippo angustus erat ille locus, Alexander Magnus, filius eius, hic vere angustum locum habet.»

Hac sententiā pronuntiata magister animadvertisit cachinnum¹⁵ discipulorum vix et aegre reprimi posse oculosque eorum in fornacem iterum atque iterum conversos esse. Quid hoc sibi velit, cogitat in se magister et ipse quoque, ne quis animadvertisat, fornacem secrete oculis observat.

«Et nonne, pergit narrare, qui loco angusto tenetur, si potest, evadit ex illo, ut habeat ampiorem.»

Quo pronuntiato cachinnus hic et ibi iam tollitur et buccis¹⁶ compressis et iterum aspectus in fornacem convertitur. Et ecce lente et caue removet operculum fornacis et foras spectat inde

fuligine¹⁷ tectus, ut diabolus, Alexander Magnus noster.

Magister cognovit illum, quod tamen non prodidit. «Tu, dixit uni e nobis, advoca ancillam,¹⁸ ut ignem faciat nobis in fornace. Algeo.» Omnes, quid sit futurum, avide exspectant. Alexander autem Magnus latet in fornace. Et cum magister, talem fuisse Alexandrum Magnum, cui Macedonia vere locus angustus fuerit, pergit narrare, iam adest ancilla et chartā in fornace iniectā incendit.

Quo facto, eodem puncto temporis exsilit e fornace Alexander Magnus noster, rugitu¹⁹ ingenti. Et fuliginosus, tussiensque²⁰ e schola excutit.

Diu sequebatur illum cahinnus condiscipulorum et tantum post duas hebdomades domum rediit, ubi pater nonnullas in amoenas²¹ quaestiones movisse dicitur. De his nunquam narravit Alexander Magnus, quem vere pudebat huius casus. Et ut ipse deridere alios posset, quod nemo unquam arbitrabatur, discere cooperat.

Finis.

¹³ egészen véletlenül = rein zufällig = tout par hasard
¹⁴ szűk = eng = étroit ¹⁵ kacaj = Gelächter = éclat de rire ¹⁶ arc, száj = Backe = joues ¹⁷ korom = Ruß = suie
¹⁸ a szolgáló = Dienstmagd = servante ¹⁹ ordítás = Brüllen = rugissement ²⁰ köhög = husten = tousser
²¹ kellemetlen = unergötlich = désagréable

Praedicatio ad latrones.

Grex¹ quinque sexve latronum in itinere incederunt in quendam monachum² Franciscanum, qui nihil habens, quod amitteret, haud motus est occursu. A quibus interrogatus, quo vaderet, respondit: «In quendam pagum, ubi orationem habeam.» «Esto igitur», ait unus ex illis, «quoniam vero nobis quaestui³ esse nequis, sic necesse est opus quoddam negotiū⁴ tui nobis perficias et illico orationē nos laudantem habeas.»

Monachus actum⁵ esse⁵ perspiciens se paratum esse dixit et cooperat hoc modo praedicare:

«Viri, nequeo vos dignius tractare, quam conferens vitam vestram cum vita Domini Nostri Jesu Christi, dum in terra vivebat. Is multum passus est; item vos quoque multum patimini. Is una cum discipulis suis ibat; perinde⁶ etiam vos catervatim itis. Is oderat scribas et pharisaeos; vos autem odistis homines, qui non sunt meliores. Is perferebat imbres, ventos, frigus, omnia inaudita; etiam vobis eveniunt omnia incommoda. Is pedibus nudis ibat; vos quoque nequāquam bene calceati⁷ estis. Is non habuit, nisi unam vestem; etiam vos habetis solas vestes, quibus induiti estis. Is neque argentum neque aurum habuit; quibus vos cumulatos esse non puto. Is quadraginta dies in desertis ieūnium⁸ servabat; de vobis quoque persaepe simile fit. Is a diabolo tentatus est; hoc vobis quotidie contingit. Is ab illo in minas⁹ montemque altum deductus est; pariter vos diabolus in loca edita dedit, unde viatores exploretis et e longinquō venire cernatis. Ab omnibus hominibus is contemptus est; similis est etiam sois vestra. Iudei ubique insidiabantur.

¹ banda = Bande = bande ² (szerzetes) barát = Mönch = moine ³ utilis = mesterség = Handwerk = profession

⁴ itt mit sem tehet = da nichts zu machen ist = il n'y a pas moyen ⁵ éppen úgy = ebenso = de même ⁶ cipőben = beschuh = chaussé ⁷ böjtöl = fasten = jeûner

⁸ falpárkányzat, orom = Zinne = faîte

tur ei, ut caperent eum; custos carceris et lictores, ut vos capiant, idem faciunt. Is ab Iudeis proditus est; vos prodet unus ex vobis. Is comprehensus et deductus et vincitus est: item vobis hoc sine dubio accidet. Is respondit coram Hanna et Caipha et Herode; similiter vos respondebitis coram iudicibus. Is virgis caesus est; perinde eveniet vobis, si nondum accidit. Is inter duos sceleratos crucifixus est; cito continget vobis idem. Is descendit ad inferos; idem facietis et vos. Deinde ascendit in caelum. At vos nunquam relinquetis sedem impiorum, sed remanebitis in aeternum apud diabulos, quo mittet vos Pater et Filius et Spiritus Sanctus Amen.»

Hoc modo monachus finem loquendi fecit et abire¹⁰ maturavit¹⁰; viri praedones autem adeo obstupefacti sunt, ut ne unam quidem vocem respondendi invenirent.

Iulius Holpert disc. gymn. Cist. Bp.

¹⁰ sietve távozik = machte daß er weiterkam = s'en aller à la hâte

NICOLAUS STEINER.

Ordo sacer et candidus ac exemptus¹ canonorum regularium Praemonstratensium summo luctu affectus est. Nicolaus Steiner, abbas et praefatus Praemonstratensium Csornensis, vicarius generalis in circaria² Ordinis Hungarica, senator superioris domus legislatoria regni Hungariae, hereditarius particeps iurisdictionis³ Comitatus Sempronensis (Sopron) pridie Nonas Maias longa aegritudine maceratus pie in Domino obdormivit. Ille confratribus⁴ suis flebilis occidit, quem et amici atque alieni multi, quibuscum consuetudinem habebat, vero desiderio lugent. Morte eius gravissimam accepit iacturam totus catholicismus regni et res⁵ institutoria⁵ Hungarica.

Natus est in pago Szentkút anno 1872. Studiis mediarum scholarum in gymnasio Savariensi (Szombathely) perfectis anno 1895. in ordinem susceptus est. Studiis superioribus absolutis prius in gymnasio Keszthelyensi, dein Savariensi munere magistri mathesis et physicae fungebatur et decem annis post anno 1911. rector eiusdem gymnasii factus est. Magister et rector per tria decennia Savariae totis viribus semper id agebat, ut adolescentes ab eo formati Deum timerent et patriam amarent et cum ad rem publicam accederent, integritate vitae florarent et Sanctae nostrae Ecclesiae columnae solidae fierent. Omni studio et tanto fervore animi in artem educandi inque varias quaestiones docendi incumbebat, ut brevi maximam auctoritatem adeptus sit. Pro hisce meritis anno 1933. titulo regii rectoris studiorum superioris a gubernatore, Nicolao Horthy honoratus est. Praeter rem institutoriam et in vita forensi⁶ multum valebat.

Magna voluptate monumentis architecturae operam dabat et praecipue in templis Praemonstratensium adhuc existantibus vel in ruinis eorum cognoscendis haerebat. Qua re ille socius⁷ ab⁷ epistulis⁷ in collegium⁸ virorum⁸ monumentis⁸ regni⁸ servandis⁸ ascitus fuit. Anno 1935. abbas et praefatus Ordinis factus est, in quo munere vitam interiorem Ordinis praescriptis novi Codicis

Iuris Canonici conformavit, praedia Ordinis ab omni onere liberavit. Aliis consiliis magnis peragendis mors acerba obstitit.

Deus Dominus noster hominem purum et pium aeterna vita beatificet! *Aem. László Keszthelyensis*



Nicolaus Steiner.

¹ kivállásos = bevorrechted = privilégié ² körzet = Sprengel = district ³ törvényhatóság = Verwaltungsrat = conseil général ⁴ rendtárs = Ordensbruder = frère ⁵ tanügy = Unterrichtswesen = enseignement ⁶ köz = öffentlich = publique ⁷ levelező tag = korrespondierendes Mitglied = membre correspondant ⁸ Müemlékek Orsz. Bizottsága = Landesrat für Kunstdenkmäler = commission des monuments historiques

Pelőfi: Paulus Pató

Latine reddidit *Vinc. Bors Szegedinensis.*

*Ut regulus sacer ultra fabulosum pelagus,
Solus, morosus in pago vivit Pató dominus.
Quam aliter hic vivatur, si nupta, uxorum flos . . .
Interpellat Paulus Pató: «Heu, vacamus illi nos!»*

*Collapsura domus, cadit tectorium illius,
Cum fragmine tecti ventus qua ruat iam, scit Deus;
Corrigamus, quia caelum per tectum inspicit mox . . .
Interpellat etc.*

*Hortus vastus est, at pro hoc, ager floret revera,
Abundanter papaveris fert varia genera.
Quid iacent mercennarii? Quid iacet arator bos?
Interpellat etc.*

*Chlamys, bracae tam tritae sunt atque rarae insuper,
Ut et loco conopii sint utiles graviter.
Panno pridem empto sartor est vocandus, uti mos . . .
Interpellat etc.*

*Sic colit vitam inopem; cum ei sint ab avis
Omnia relicta large, attamen nil habet is.
Quod non eius culpa, nam est natus inter Hungaros,
Quorum dictum perantiquum: «Heu, vacamus illi nos!»*

Nuntii recentissimi.

In memoriam Galilei (1564—1642). Ante CCC annos obiit mortem fundator physicae recentioris, Galileus Galilei. Pater eius magister erat artis musicae in urbe Florentia, ubi etiam Galilei natus est. In Universitate Pisana artem medicinae studebat. Post tres annos incepit legere opera Archimedis et Euclidis, quos in primo suo opere secutus est. Patroni ingenio eius cognito effecerunt, ut professor mathematicae in Universitate Florentina crearetur. Quia errores physicae Aristotelis iam pridem cognoverat, cathedrā acceptā fundamenta novae physicae ponere aggressus est. Animadvertisit velocitatem corporis non in itinere iam facto, sed in tempore vi eiusdem magnitudinis consumpto sitam¹ esse.¹ Sic invenit notionem² accelerationis et retardationis physicae. Maxime leges oscillationum³ perpendiculari³ et lapsus⁴ quaerebat. Lex maximi momenti Galileiana est haec: iter libere labentis corporis rationem⁵ ad quadratum temporis labendi habet.⁵ Sed Galilei etiam astronomus erat. Ante LXXX annos iam Copernicus edidit iter siderum vagorum facilius ac simplicius describi posse, si Sol, quam si Terrā centrum mundi diceretur. At Galilei primus hoc vere ita esse demonstravit. Per telescopium bis et tricies amplificans, quod ipse fabricatus erat, cum primus conspexit 4 lunas astri Iovis, apparuit Terram cum luna sua aequē⁶ atque⁶ Iovem circum Solem simplicem stellam vagam esse, at non centrum mundi. Ab adversariis inventa eius non intellegentibus coactus, ut quae de motu terrae⁷ globi⁷ praeceperat, revocaret, in villa sua more captivorum inclusus octo annos usque ad mortem vixit. Ipse mortuus est, sed inventa et praecepta eius immortalia sunt.

Frid. Kreiner disc. Sch. Piarum M.-Canissanus.

¹ függ vmtöl = abhangen von = dépendre de ² fogalom = Begriff = idée ³ ingalengés = Pendelschwingung = oscillation ⁴ esés = Fall = chute ⁵ aránylik = sich verhalten = être proportionné à ⁶ ép ugy, mint = ebenso wie = de même que ⁷ földgömb = Erdball = notre globe

Nuntii de IUVENTUTE. a) Lectores nostri Szekszardienses *protocolum Latinum sessionis Academiae discipulorum scripserunt, in qua enumeraatur, quomodo discipuli linguae latinae necnon disciplinis antiquitatem tractantibus operam navares velint. Praefectus Academiae est Josephus*

Lázár magister, praeses discipulorum *Alexander Marth*, notarius et maior domus *Franciscus Deák*, secretarius *Paulus Dóry*, quinqueviri operibus discipulorum recensendis *I. Füglein*, *I. Megyesi*, *A. Petz*, *Ae. Simon*, *S. Mészely*. Dolendum est, quod inopia spatii impedit, quominus protocollum hic tota longitudine publicetur. Diligentiam enim studiumque amicorum nostrorum Szekszardiensium alii quoque imitandum esse putamus.

b) Mense Maio in circulo discipulorum Scholiarum Piarum M.-Canissae hortatu praefecti circuli, magistri *Santora*, *Fridericus Kreiner* disc. classis V, cuius opuscula lectoribus nostris haud ignota sunt, orationem de IUVENTUTE habuit. Etiam 25 annorum ephemeridis nostrae mentionem fecit, deinde fasciculos mensium Martii et Aprilis copiose ostendit. Discipulis in primis iocosa et aenigmata adeo placuerunt, ut post relationem diu «Vivat IUVENTUS» clamarent. «Spero fore, ut mihi contingat numerum lectorum IUVENTUTIS in nostra schola augere» scribit Fr. Kreiner.

c) Hic fasciculus IUVENTUTIS iam 300-us (trecentesimus est.) Quod cum gaudio affecti nuntiamus, eodem tempore sociis lectoribusque otium amoenissimum per ferias aestivas exoptamus.

Nuntii bellici. Germani cum ceteris defensoribus Europae in Chersoneso Taurica (= Krim) 150 milia et ad urbem Charcov 240 milia Russorum bolscevistarum ceperunt. In his pugnis etiam milites nostri fortitudine excellebant. Iaponii pluribus navibus aeratis Americanis in mari Coraliorum submersis Anglos et Sinenses iam in India Sinaque persequuntur.

Certamen Corrigendi. Fabula mendosa mense Aprili ad corrigendum proposita hic corrigitur:

De nauta et mercatore. Quidam mercator olim nautam interrogavit, quo modo pater eius mortuus esset. «Naufragio facto mari haustus est (= naufragio periit), — respondit nauta senex — quin etiam avus et proavus aquis hausti (= submersi) sunt.» — «Et tu non times in mari navigare?» interrogavit mercator. — Antequam respondeo, — dixit nauta — etiam ego te aliquid rogo. Dic mihi, ubi pater tuus mortuus sit.» — «In lectulo, — respondit ille — etiam avus et proavus in lectulo mortui sunt.» — «Et tu — dixit nauta ridens — non times in lectulo dormire?»

Praemia ab Societate Mag. Cath. Med. Sch. donata ex 20 competitoribus optime corrigendo meruerunt: *Ioannes Erdős*, *Franciscus Kóbán*, *Tiburtius Stiller*, *Gerogius Wollitzer* (*Berzsenyianum Bp.*), *Verona Szlávik*, *Angela Komlós*, *Adelhaidis Pintér* (*Angelanum Bp. et Scarab.*), *Zoltánus Biró* (*gymn. conf. Helv. Bp.*).

Certamen Latinum I. in Scholis Piis Budapestinensis discipulis VII—VIII classium positum est. Certatoribus quidam locus Ciceronis hungarice, alter textus Hungaricus latine reddendus erat. Optime laboravit socius laboris nostri, *Alexander Weber* (classis A) VII) discipulus *Caroli Dragoss*, secundus fuit *Georgius Domony* (cl.



Lectores nostri Szekszardienses cum Josepho Lázár magistro.



Aeroplano Russicum delapsum et combustum.

A) VIII) disc. Caroli Vékey, tertius Benedictus Horváth (cl. A) VIII), quartus Petrus Oláh (cl. B) VIII) disc. Stephani Senye.

Certamen poëticum IUVENTUTIS.

Fragmentum epitaphii mense Febr. (pag.52) propositum solus Iosephus Irsy, pristinus moderator ephemericis nostrae idemque poëta Latinus singularis, solus feliciter explevit, cui igitur præmium iure adiudicatur. Verba exulta hexametrorum mutilorum infra publicantur :

*Hic posita est Helena Ország adtumulata marito,
Ut quos certus amor vivos tenuit sociatos.
Foedere nec posset mors dissociare perenni.
Digna erat haec Helena Gabrieli illustri Peréni;
Nam praelustre genus, formae speciosa venustas:
Dotibus ast animi speciosior, ac generosa.
Virtutis solidae laudes cumulavit in ipsa.
Innumeris exculta bonis Heroides alte in
Pannonicas tamquam lux spectat eis veneranda.*

LECTORIBUS MINIMIS

Jocosa.

1. Negligens discipulus : Scisne, Paule, quanta sit fortuna mea ? — Paulus admirans : Fortuna tua ? — Negl. : Libri scholastici novi mihi non emendi sunt. — Paulus : Negl. : Cur ? — Quia in examine non¹ sum¹ probatus.¹

2. Magister : Cur nobis sapone opus est ? — Discipulus sordidus : Etiam ego id scire velim.

Lad. Tsuk disc. Verböcnyi Bp.

In caupona quidam dominus ad cellarium². «Non possum edere hanc sorbitonem.»³ — Cellarius sorbitonem aufert et aliam apponit dicens : «Fortasse haec sorbitio bene⁴ sapiet.»⁴ Sed hospes rursus recusat : «Valde doleo, neque hanc sorbitonem

edere possum. » Cellarius iam admirans interrogat : «Cur non potes, domine, edere hanc sorbitonem, quae optima est ?» — «Quia nondum ligulam⁵ atculisti!» respondet hospes ridens.

Lad. Almissy
disc. Klauzaliani (Szeged).

1. Franciscus : «Quam pulchros habet crines Maria !» Soror eius : «Ita est. Sed domum pulchriorem habet.»

2. Magistra grammaticae iam senior interrogat : «Quale tempus est hoc : pulchra sum ?» Discipula maligne respondet : «Præteritum».

Laya Bolza et Alexa Pálffy
disc. Sophiani Bp.

1. Hospes in deversorio⁶ cuiusdam oppiduli, cum dormitum it, dicit ianitor : «Quia mane proficisci debeo, rogo, ut me luce prima somno excites.» Ianitor respondet : «Si tintinnabulum ter presseris, statim veniam et excitabo te.»

2. Clarus pictor, nomine Bókai, ruri habitavit, ubi libenter naturam pingebat. Unus ex amicis salutans eum interrogavit : «Quid pingis, Petre ?» Pictor : «Pascuum⁷ et capram pascentem.» Amicus : «Ubi est pascuum ?» P. : «Capra iam depasta⁸ est.» Am. : «Et ubi est capra ?» P. : «Non insana⁹ est, ut hic maneat, cum iam non habet, quod depascatur.»

Lad. E. Török disc. Barossiani (Szeged).

1. Filius : «Nonne, matercula, anno praeterito dies¹⁰ lunae¹⁰ erat natalis meus ?» Mater : «Recte dicens.» F. : «Hoc anno dies¹⁰ Martis¹¹ erit ?» M. : «Ita est.» F. : Et anno proximo dies¹² Mercurii¹² erit ?» M. : «Revera.» F. : «Quot igitur diebus natus sum ?»

2. Pater : «Crede mihi, mi fili, si te verbero, dolor meus maior est, quam tuus.» Filius : «Fortasse igitur melius erit, patercula, si ego te verberabo, tum enim ego sentiam maiorem dolorem.»

Franciseus Liska disc. Cist. (Baja).

Emptor : «Panem emere volo.» Pistor :¹³ «Panem siligineum¹⁴ visne an fuscum ?¹⁵» E. : «Id¹⁶ nihil¹⁶ mea¹⁶ rēfert, quia caeco panem fero.»

Ern. Hidvégi disc. gymn. conf. Helv. Bp.

¹megbuktam = durchfallen = échouer ²pincér = Kellner = garçon ³leves = Suppe = potage ⁴izlik = schmecken = flatter le goût ⁵kanál = Löffel = cuillère ⁶szálloda = Gasthof = hôtel ⁷legelő = Weide = pátrage ⁸leleget = abweiden = pátruer ⁹bolond = verrückt = fou ¹⁰hétfő = Montag = lundi ¹¹kedd = Dienstag = mardi ¹²szerda = Mittwoch = mercredi ¹³pék = Bäcker = boulanger ¹⁴fehér = weiß = de, première qualité ¹⁵barna = schwarz = noir ¹⁶báном is én = es geht mich nichts an = peu m'importe

Sic itur ad successum. In procoetone¹ principis² gregis³ histrionum², multi, etiam, poëta scenicus aditum exspectabant. Sed princeps gregis neminem accipiebat, quia cum praefecto³ apparatus³ disputabat. Poëta primum patienter sedebat, sed deinde clam egressus est. Automobili in tabernam⁴ vesti-

¹előszoba = Vorzimmer = antichambre ²színigazgató = Schauspieldirektor = directeur de théâtre ³kellékes = Ausstattungschef = accessoiriste

bus⁴ scenicis commodandis⁴ vectus est. Hic vestitum pedisequus⁵ induit. Pectus conscientia superbā tumescet. Portam non pulsans intravit in procoetōnem, more pedisequi per multitudinem hominum gressus simpliciter portam aperuit. Dominus gregis mirabatur et quasi invitus surrexit interrogans : «Quid desideras ?» Ille fabulam⁶ scenicam⁶ tradidit domino et sine response discedere se non posse dixit. Director nonnullis sententiis



perfectis¹ servo dixit : «Dic! Suae Excellentiae, domino tuo fabulam scenicam bonam esse.» Pedisequus respondit se ipsum esse auctorem fabulae. Vultus directoris gaudio splendebat, quia nondum pedisequus tale opus scripsit. Cum autem pedisequus confessus est auctorem fabulae poëtam scenicum esse, vultus domini gregis obscuratus⁷ est, et spe⁸ destitutus⁹ interrogavit, quis ille poëta scenicus eset, deinde manuscriptum in mensa locavit et fumare cooperat. Servus confessus est fabulae scenicae se ipsum esse auctorem. Princeps gregis respondit : «Occasione data fabulam perlegam et per litteras decretum meum accipies.»

Editha Szál disc. Angelani Bp.

De Emerico Madách. Societas nobilis in domo Augustae Teleki congregata erat et interea in una ex pergulis,⁹ ubi complures sedebant, Emericus Madach nonnulla carminum suorum recitavit. Aderat etiam Mauritius Ballagi, hoc tempore adhuc vir alacerimus, qui praetermittere nullo modo potuit, quin peritiam suam remigrationis in lacu horti floribus consiti ostentaret, ergo in lintre condidit. Interim quedam matrona Emericum Madach interrogavit, cur non longius carmen scenicum scriberet. Madach paululum secum meditabatur, dum matrona doctissima ei historiam mundi commendavit, sed poëta statim declaravit sibi omnium primum titulo apto opus esse, quōcum materiam coniungeret. Hoc momento Mauritius Ballagi permadefactus¹⁰ ad eos incessit, nam lintre eversa in lacum inciderat et omnium oculos in se convertens : «Ecce — inquit — tragedia hominis!» «Habeo iam titulum!» exclamavit Madach et mox «Tragediam hominis» compositus.

Adelhaidis Pintér disc. Angelani Scarabantini.

De pugna¹¹ singulari¹¹ aria. In montibus Mace-doniae venator testis certaminis singularis iucundi fuit, quod aquila nigra et felis inter se inierunt. Venatorem aquila supra quoddam punctum assidue circumvolans, mox subito delapsa attentum fecit. Aquila bestiam minorem unguibus tenebat, quam

venator leporem¹² captum esse putavit. Aquila autem, cum iam sublimis in aere volaret, subito decidit. Venator statim accurrit, quid accidisset, spectaturus et admirans felem domesticam prædam esse aquilae vidit. Cum venator illuc advenit, iam ambae bestiae perierunt. Aquila enim oculos ventremque felis effosserat, feles autem habuit adhuc tantum virium, ut fauces aquilae morsu¹³ divelleret.¹³

Maria Polónyi disc. Angelani Bp.

⁴ ruhakölcsönzöintézet = Kleiderlehanstalt = magasin d'habillement de prêt ⁵ lakáj = Lakai = laquais ⁶ színdarab = Schauspiel = pièce de théâtre ⁷ elkomorodott = verdüsterte sich = s'assombrir ⁸ csalódottan = enttäuscht = détrompé ⁹ lugas = Gartenlaube = tonnelle ¹⁰ csuronvizesen = ganz durchnäßt = tout mouillé ¹¹ párbaj = Zweikampf = duel ¹² nyúl = Hase = lièvre ¹³ áthatrap = durchbeißen = sectionner d'une morsure

LECTORIBUS MAIORIBUS

D. Berzenyi: Preces.

Metro Alcaico servato latine reddidit *Robertus Frankl disc. cl. VII. gymn. Mátyásföldiensis.*

*Coelum pater, quem mens sapientis haud
Capit prudens, tantum pietate Te
Praesentit: ut sol, luces, at non
Inspiciunt oculi ardente umquam.*

*Caelum infinitum et aetheris astra, quae
Gyros agunt iussa ordine circa Te,
Vermes pusilli singuli sunt
Facta Tibi, Omnipotenti, mira.*

*Creasti mundumque ipse tua manu ex
Nilo,¹ tuo pessum datur orbis² aut
Uno novus nutu creatur,
Tempora dirigis et regis Tu.*

*En dictitant longique poli Tuam
Laudem procellae et fulmina nubium
Stillaeque roris, serta floris
Psallite, psallite laudantem hymnum!*

*Pie ante Te flecto genua, o Deus!
Olim si mox effusa anima mea
Accesserit Te spiritus iam,
Quae cupit, omnia tunc videbit.*

*At lacrimis nunc iam perago meum
Tersis iter, quod sorte mihi datum,
Pro viribus possum meare,
Qua via recta bonis piisque.*

*Fide sperans noctem maneo mei
Busti asperam, at non, horrida non potest,
Quae opus Tuum, esse: nam sepulta
Ossa Tuis manibus tegentur.*

¹ nihilo. ² sc. terrarum.

Librorum recensio.

Aristoteles. *Nicomachosi Ethika.* (Aristotelis Ethica Nicomachea). Fordította és magyarázta Szabó Miklós. Parthenon Budapest, 1942. 2. kötet. Pag. XX + 274, 266. Pretium 20 pengoe. — In ordine librorum in Hungaricum conversorum, quos societas litteras antiquas foventum forasdat, Aristotelis, sapientissimi et doctissimi philosophi qui cum multarum aliarum scientiarum, tum quaestionum moralium primus fundamenta in via ac ratione sita iecisse merit asservatur, Ethica Nicomachea tertium locum obtinent. Quae cum in rebus moralibus nostris temporibus tam praeposteri errores grassentur, in tanta morum perturbatione ac confusione prudenter factum dicendum est, ut nova Hungarica interpretatione pervulgarentur; interpretationem Nicolaus Szabó curavit acerbissima diligentia et Aristotelice mentis ac cogitationis summa intelligentia. Aristotelis opera qui convertenda suspici, ei difficultates haud exiguae superandae sunt. Quas autem difficultates Szabó, cum esset deditissimus devotissimusque Aristotelicorum operum cultor et interpres, feliciter evicit atque nobis interpretationem suppeditavit talem, quae sit licet philologorum anxia et sollicita cura confecta, expedite tamen et sine salebris progrediens lectoribus Aristotelis intelligentiam efficit commodam et si quae essent, quae ne religiosissima quidem translatione possent tolli, impedimenta, ea brevibus et iis subtilibus annotationibus amolitus est. In prooemio vero vita Aristotelis breviter enarrata operibusque leviter tactis Ethicorum argumenta et sententiarum ordinem subtili explicatione persecutus editiones et translationes summatim enumeravit. Hac nova Ethicorum Nicomacheorum interpretatione omni laude digna patrata literarum Graecarum amatores Nicolaus Szabó beneficio sibi obstrinxit maximo.

Erdős Tivadar : *Latinul 40 nap alatt.* Gyöngyös, 1942. Pag. 109. — Multi inveniuntur, qui lingua Latinam si non integrum, saltem eius elementa celeriter discere cogantur, ut ex his elementis profecti post pedetemptum progressi profundiore linguae Latinae scientia potiantur. Hic parvulus libellus ita est ordinatus et compositus, ut discentibus ad elementa linguae facilem aditum parent. Id quoque huic libello pro commodo imputandum est, quod pro exemplis 500 proverbia adhibentur. Hic libellus prima rudimenta linguae Latinae auspicantibus maxime commendari potest.

Turóczi Trostler József : A) *A Balassa-versszak eredetéhez.* Budapest 1941. Pag. 20 (origo stropheae Balassianae). Stropheae Balassianae origini investigandae et perscrutandae a doctis viris Hungaricis multum opera navabatur, sed hanc de origine stropheae Balassianae quaestione auctor libelli solvisse ait, cum apud P. Herbert poetam sectae Germanico-Bohemicae (Kirchengesang, Prag 1566) Balassianae stropheae architectonicam congruentiam invenisset. Sed hoc suae investigationis eventu non contentus Balassianae stropheae originem ab altiore initio repetens temporibus inter poesim mediū aevi Germanicam (Minnegesang) et reformationem septies decies in Germanica poesi congruentiam reperisse autamat. Certe Turóczi-Trostler quaestione de stropha Balassianae ad exitum propius adduxisse videtur.

B) *Fenékkel felfordult világ.* Tanulmány a mesés képzetei történetéből. (De mundo sursum deorsum verso. Studia ad historiam fabulosorum figmentorum.) Budapest 1942. Ranschburg Gusztáv könyvkereskedése. Pag. 31. Historia fabularum vaniloquarum, incredibiliter mentientium, res in maius extollentium mendaciaque nimis exaggerantium nondum scripta est, neque hoc libello Turóczi-Trostler huiusmodi fabularum historiam perscripturus est, sed tantum exponit, quae fata aliquot figura fabulosa in litteris Hungaricis habuerint, persequiturque eorum vestigia et aliarum nationum huiusmodi fabularum cohaerentiam.

atque affinitatem copia materiae uberrima allata, qua historiae fabulosorum figmentorum utiliter praeluditur, diligenti argumentorum expositione explanat. Ceterum viri docti, qui in hac parte litterarum elaborent, hoc libello quin salutariter usuri sint, haud dubium esse puto.

Szűts Iván: *Zúg a Nemere.* (Ventus Transylvanicus stridet.) Versek. Budapest, 1941. Pag. 110. Cserépfalvi kiadása. Iván Szűts, qui iam carminum suorum prius editorum fasciculum laudem et nomen sibi peperat, nunc nova nobis poemata, quae prioribus venustate neutiquam cedunt, fruenda apposuit. Ut ex prioribus, ex his quoque novis eius carminibus liquidam et puram im ibimus voluptatem. Ivan Szűts in neotericorum choro poetarum carminum inaffectata et ingenua quadam simplicitate, versuum levi cursu et volubili rotunditate, sententiarum intima et profunda subtilitate excellit. Speramus fore, ut benignae ingenii sui poetici venae iam uberores eliciat fontes. *C. Ács Bp.*

AENIGMATA.

Solutiones aenigmatum numeri VIII (m. Apr.) : 1—2.

Est arbuscula non truncus curvandus in uncum. Contra vim mortis non est medicamen in hortis. — 3. Orno, reor, novi, oris. — 4. Deus, ense, usus, sese. — 5. S, us, sus, usus, lusus, elusus. — 6. Gallia in tres partes divisa est. — 7. Interdiu. — 8. Errare humanum est. — 9. Inter arma silent Musae. — 10. $(15+3) + (21-3) + (6+3) + (54:3) = 4 \times 18 = 72.$ — 11. Si vis pacem. Ut desint vires. *Lucus.* Laudator. Alea : *Sulla.* — 12. *Ad libram* : 1. *praeda*, 5. *cloaca*, 6. *tollam*, 7. *neo*, 8. *ter*. *Ad perpendicularum* : 1. *pecten*, 2. *Apollo*, 3. *exalat*, 4. *amamur*. — 13. 1. *Illa*, 2. *urna*, 3. *vena*, 4. *equa*, 5. *nona*, 6. *tria*, 7. *ursa*, 8. *sola* : *Juventus*.

Aenigmata recte dissolverunt : I. Mosonyi (*Giselanum*), St. Molnár (*Madachianum*), Ernestus Hidvégi (*gymn. conf. Helv.*), classis VIII A) (*Fayanum*), B. Árkosi (*gymn. Cisterciensem*), Georgius Moldoványi (*Verbőczyanum*), Stephanus Grósz (*Scholae Piae*), E. Brámer, E. König, C. Szécsi, S. Frank, Juliana Györgyey, E. Hartmann, E. Schlinger, E. Weisz, Cl. Hajdú (*Veresianum*), N. Bán, Z. Baróti, Ol. Benyó, st. Bóti, I. Erdős, H. Farkas, G. Fekete, Ladislaus Ferenczy, P. Forgács, Gu. Gréczi, St. Haás, Th. Hirschfeld, Th. Kálmán, L. Kreutle, Z. Molnár, St. Lukács, Al. Nemes, O. Orient, G. Schwartz, *fratres Serényi*, T. Stiller, G. Strausz, T. Várnai, M. Vörös, E. Weisz, Jo. Weiszberg, Jo. Zigler, O. Beck, R. Deutsch, N. Erdély, St. Kőbán, St. Puchmann, Fr. Szűcs, Z. Tóth, C. Vadadi, St. Avar, B. Balogh, G. Baranyai, St. Farkasházi, P. Kartschmaroff, St. Grünberger, G. Hajdú, E. Gárdosi, C. Somfai, G. Kiss, N. Münster, Th. Rózsa, L. Szakács, R. Szebeni, *Franeiseus Szőnyi*, C. Teleki, Jo. Zaborecz (*Berzsenyianum*) Budapestinenses, J. Iglió, Eugenius Harsányi Dombóvarienses. Fr. Gyulay (*gymn. Unit.*) *Claudiopolitanus*. J. Magyar Magyarörváriensis. M. Csengery, L. Csurilla, Maria Koch, M. Krajcsik, J. Molnár, A. Nagy, H. Pintér, V. Schág, Fr. Szinay, E. Tóth, I. Szabó, H. Csák, C. Gombos, H. Kántor, E. Bagossy, Cl. Kató, M. Török (*Szilgyianum*) *Magnó-Varadinenses*. A. Horváth, B. Lakatos, *Ladislaus Almássy*, (*Klauzalianum*) *Szegedinenses*. Fratres Horti Jászberényienses. M. Bella, Cl. Hámory, Th. Házy, *Gisela Sándly*, L. Szakács, M. Szűcs, sorores Tóth, V. Virág (*Ursulanum*) *Scarabantiae*. *Ladislaus Versényi*, *Bajanus*. *Ervinus Refael* (*gymn. Unit.*) *Claudiopolitanus*. Fr. Kreiner *M.-Canissanus*. *Victor Reményi*, E. Kontor (*gimn. Benedict.*) *Ivannes Schmidt*, *Mohácsensis*. Z. Gaál, L. Balogh, A. Berecz, L. Nemesvölgyi, *Otto Pálos*, P. Szaló, I. Gerebeuics, T. Schweighoffer, Fr. Turner (*Maurinum*) *Papaenses*. St. Berényi, A. Boross, I. Bugyi, *Josephus Feuerer*, St. Garamvölgyi, M. Kanász, L. Knap, Ae Laukó, C. Mészáros, M. Rohla, St. Szász, A. Mátéfy, St. Keresztes Nagy, G. Porjesz, L. Scherg, A. Széll, St. Udvárdi, Fr. Váczi, St. Vass, A. Zsoldos, St. Csernus,

Stephanus Vass de Dunahát, A. Gyuricza, L. Bugner,
L. Lakatos, Eu. Szeberényi, Fr. Szóke, M. Csernák, Fr.
Fekete, I. Jancsó, I. Kárasz, Z. Pálffy **Szentesiens.**
I. Rákóczi, **Eva Tóth Mezőtúriensis.** Z. Biró Bp.

1. Logographus.

Sum pugil insignis, Iove natus, fida gemello
quem fratri iungit semper amicitia.
Vocales mihi sunt binae. Variante secunda
en! — digitus reliquis crassior exoritur.

Fr. Palata Trebicensis (Moravia.)

2. Ex sententiis.

- sunt exempla, quam verba.
- usque ad mala.
- ianua mentis est.
- nascitur misericordia.
- malus esse studet.
- ambitio quietem mentis.
- et voluisse sat est.
- prematur in annum.
- exemplo plurimi corriguntur.
- virtus comes est defunctorum.

- est, qui Deo magistro utitur.
- monumentum aere perennius.
- proponit, sed Deus disponit.
- sacramentum est caritatis.
- locuta causa finita.

Litterae initiales sententiarum expletarum nomen socii egregii IUVENTUTIS nuper mortui indicant.

Zoltanus Gaál disc. Maurini Papaensis.

3. Scalae.

- um opacare.
- . um . . . rex fuit Albae Longae.
- . . um . . metallum magni ponderis.
- . . . um . fulcimen, pars domus.
- um . patre mortuo nata.
- um conatus, nitus.

Andrea Kádár de Borosjenő disc. Angelani Bp.

4. Aenigma sincerum.

Pulcherrima erat mater mea; auro quoque pulchrior erat et fortasse stellis splendidior; in me non est nitor, necque quisquam me amat; si in cubiculo sum, omnes me expellunt; me aequae fugiunt homo et animal, culex quoque parvus mihi tergum vertit, etsi nihil mali in me inventire possit; ubi appareo, multi lacrimantes verbis me castigant; validum me esse dicunt et violentum; tamen vitam meam existinguat lenissimus ventus.

Franciscus Liska disc. Cisterciensium (Baja).

5. Ex syllabis.

Ae, ba, bi, co, Do, do, Hi, li, lym, me, na, Ne, O, pus,
pus, ra, ro, Ru, Sa, so, U, xes.

1. Fluvius Italiam Gallia Cispadana separans. 2. Urbs in Sicilia. 3. Sedes deorum Graecorum. 4. Oraculum Iovis in Epiro. 5. Poëta multarum fabularum. 6. Imperator Romanorum, qui se poëtam esse putabat. 7. Rex Ithacae prudentissimus. 8. Regio Arabiae.

Si ex his syllabis 8 nomina supra definita recte compo-sueris, litterae initiales flumen magnum Helvetiae Galiaeque indicabunt. *Catharina Szécsi disc. Veresiani Bp.*

6—7. Quadrata magica.

1	2	3	4
1			
2			
3			
4			

- A A E I 1. Deus, filius Veneris.
- I M M O 2. Decedere de vita.
- O O R R 3. Precatur, rogat.
- R R T T 4. Sicut ritus iubet.

Hugo Frey disc. Lucanensis (Helvetia.)

- B B I I 1. Quondam, aliquando.
- I R R M 2. Liquores diis effundo.
- M O O O 3. Hispanus.
- L L S E 4. Letum, nex.

Lucianus Bolzani disc. Lucanensis.

8. Acrostichum.

- | | | |
|------------|------------|----------|
| • orma | • ententia | • eo |
| • rbs | • uniculus | • ex |
| • usticus | • rs | • nde |
| • imperium | • ons | • entire |
| • xor | • talia | |

Litterae initiales recte inventae ducem Romanum clarum indicant.

Thomas Vásárhelyi disc. Verböczyani Bp.

9—10. Ad saltum equulei.

fu-	mo-	ris	no	Dul-	mo-	co-	pro
Ro-	vi-	Si	to	rum	pa-	ce	a
re.	e-	ma-	Ro-	ri.	■	est	de-
		mae,	vi-		et	tri-	

Iulius Keresztyén
disc. gymn. Archiep. Bp.

Arpadus Bandi
disc. gymn. Unit. Székely-keresztsuriensis.

Nota. Lectoribus minimis: 6—10, mediis et maioribus 1—5. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucro epistulae ad moderatorem *J. Wagner (Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20.)* mittant. (Egy-egy iskola tanulói rejtvénymegfejtéseket közös borítékban küldjék be a szerkesztőségbe.)

Terminus solutionum: Calendae Octobres.

Epistolia officia.

Mense Maio iterum 20 discipuli et alii varia opuscula ad me miserunt. Dolendum est, quod permulti — ut Horatius dicit: «Vertumnum Ianumque spectare» solentes spe destituti sunt. Oro atque rogo igitur omnes, ne quid IUVENTUTI ad tempus scribant, nam 3 chilogrammata opusculorum in mensa mea iacentium anno scholastico proximo publicaturus sum. Valete omnes! — *Papaenses.* Solutiones m. Martü non accepi.